

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


Disputatio de scriptura sacra

**Hafenreffer, Matthias
Loeher, Bernhard Ludwig**

Tubingae, 1604

VD17 VD17 12:150571F

[urn:nbn:de:bsz:31-128688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128688)



60A 2690 R

Sum
M. Caroli.

Disputatio

DE

Scripturâ Sacrà,

Q V A M

Diuinâ fauente clementiâ

S V B P R Æ S I D I O

REVERENDI,

ET CLARISSIMI VI-

RI, DN. MATTHIÆ HAFEN-

REFFERI, S. S. Theologiæ in incly-

ta Tubingensi Academiâ Doctoris, & Professoris exi-

mii, Præceptoris sui sempiternum

colendi:

EXERCITII GRATIA,

HORA, LOCO QVE SOLITIS,

pro viribus defendendam sumet,

Die VII. & VIII. Septembr.

M. Bernhardus Ludonicus Lœ-
her Syndelfingensis.

SS 2

T Y B I N G Æ,
E C H A L C O G R A P H I A
Erhardi Cellii.

ANNO M. DCIV.



REVERENDO, ET
CLARISSIMO VIRO,
DOMINO

FELICIBYDEM
BACHIO, S. S. THEOLOGIAE
DOCTORI CELEBERRIMO, ILLV-
strissimi Principis Wirttembergici, &c. Concio-
natori Aulico, & Consiliario pruden-
tissimo,

Patrono suo officiosè co-
lendo,

*Disputationem hanc Theologicam offert, ac
dedicat Respondens.*

Zo



Disputatio Theo-
logica
De Scriptura Sacra.

THESIS I.



Vod Irenæus lib. 3. c. 2. de hæreticis sui temporis refert; *Cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neg, sint ex autoritate, & quia variè sint dicta, & quia ex his non possit inueniri veritas, ab his, quinesciant traditionem: non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem, &c.* Idem sanè hoc nostro tempore facit Aduersarij nostri Pontificij.

2. Quando enim varij ipsorum errores, & detestandæ corruptelæ ad normam Scripturæ Sacræ examinantur, mox S. S. Scripturam accusant, quod sit doctrina mutila, manca, & imperfecta, eò quod non contineat omnia, quæ ad fidem, moresque piè viuendi pertinent, & ad Ecclesiæ suæ Traditiones confugiunt, quarum autoritatem, in re dubiâ, aut quacunque excitatâ controuersia, ad fidem faciendam magis idoneam, & efficaciorẽ esse, quàm ipsas Scripturas, sine fine contendunt.

3. Hinc Pighius de Eccles. Hierar. lib. 1. c. 4. ait: *Si huius doctrinæ memores fuissetus, Hæreticos scilicet non*

Disputatio Theologica.

esse informandos, vel conuincendos ex Scripturis; meliorē sanè loco essent res nostra. Sed dum ostentandi ingenij, & eruditionis gratiā, cum Luthero in certamen descenditur Scripturarum, excitatum est hoc, quod prohdolor nunc videmus, incendium.

4. Cum verò contumeliosæ illæ voces, quas plæriq; Scriptores Pontificij in Scripturam S. euomere solent, non tantum in auribus piorum horrendæ, verum etiam contra Dei Maiestatem blasphemæ sint, necessitas sanè postulare videtur, vt infirmorum fidei roborandæ, & Diuinæ gloriæ defendendæ causā, Necessitas, Perspicuitas, Perfectio, & Certitudo Scripturæ S. contrā Pontificios errores, inuictis rationibus, Orbi Christiano demonstrentur.

5. Id quod præsentī hac Disputatione, Diuinā adiuti gratiā, conabimur: ita tamen, vt vera solum, & Orthodoxa de hoc Articulo sententia, idoneis rationibus fundata, sine contrariorum argumentorum prolixiori refutatione, (ne excrescat Disputatio) proponatur.

Caput Primum.

De Scripturâ Sacrâ in genere.

6.

Descriptio Scripturæ S.

EST autem Scriptura S. volumen, quod certis Prophetarum, Apostolorum, & Euangelistarum libris constat, qui Biblici appellantur.

Cur dicatur Sacra.

7. Vocatur hæc Scriptura, SACRA, cū quod res verè Sacras, & Diuinas tractat, tūm quod à Spiritu S., per os Prophetarum & Apostolorum loquente, est profecta: sicut testatur Dauid, 2. Sam, 23. v. 2. *Spiritus Domini*

de Sacra Scriptura.

Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.
& Petrus 2. Ep. 1. v. 20. 21. *Omnis Prophetia propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancti. inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.*

8. Huius Scripturæ libri, BIBLICI, siue BIBLIA, Cur Biblia.
dicuntur, propter excellentiam, quod rerum dignitate
& Maiestate omnes humanæ Sapientiæ libros, in infinitum superent.

9. Diuiduntur autem Libri, volumine Bibliorum comprehensi, vſitate in duos ordines: Prioris ordinis libri appellantur Canonici: Posterioris, Apocryphi, Librorum Bibliorum alii Canonici sunt, alii Apocryphi.
ſeu Eccleſiaſtici.

10. Libri Canonici Veteris Testamenti sunt: Libri Canonici Veteris Test.
Quinquè libri Moſis, liber Iofuæ, Iudicum, Ruth, duo Samuelis, duo Regum, duo Paralipomenon, duo libri Eſdræ, Eſther, Iob, Pſalterium, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Eſaias, Ieremias, Threni Ieremiæ, Ezechiel, Daniel, Oſeas, Ioël, Amos, Obadias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Zephaniaſ, Haggæus, Zacharias, & Malachias.

11. Noui verò T. Libri Canonici numerantur, Canonici N. T.
Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, Acta Apoſtolorum, Epistolæ Pauli: ad Romanos, ad Corinthios duæ, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes vtræque, ad Timotheum vtræque, ad Titum, ad Philemonem, Prior Epistoſa Petri, Prima Ioannis.

12. Hi libri omnes, & ſinguli habent certiffimum, & conſentiens totius Eccleſiæ purioris Teſtimonium, quod ab his ipſis autoribus, quorum præ ſe nomina

Disputatio Theologica

mina ferunt, Diuino Spiritu Illuminatis, profecti, & Ecclesiæ commendati sint.

Cur dicantur
Canonici.

13. Ideò etiam dicuntur Canonici, quòd videlicet sint Canon, id est, regula, seu norma Doctrinæ, secundum quam de omnibus dictis, scriptis, & dogmatibus reliquorum hominum iudicamus liberè: vt, quæ cum hac norma congruunt, recipiantur, quæ pugnant, reijciantur.

14. Canonis verò Appellatio, hisce libris attributa, non inde desumpta est, quasi, vt quidam fabulantur, illa autoritas, per Canonem alicuius Concilij illis communicata sit, cùm ne nominare, aut fingere quidem possint, Concilium aliquod, in quo primum constitutus sit talis Canon Scripturæ, quasi antea Scriptura non habuisset talem autoritatem: sed absque dubio appellatio desumpta est, ex Psalmo 19. v. 5. *In omnem terram exiuit REGULA eorum.*

15. Vbi doctrina Apostolorum, (Paulo Interprete) Rom. 10. v. 18. appellatur regula, vel Canon phrasi Orig. linguæ constans funiculo, aut linea quadam, quæ ad structuram, vel quodcunque opus applicatur, vt certâ, & debita ratione absoluat, nec vsquam aberratur.

16. Quam ipsam Canonis Appellationem etiam Paulus ipse Verbo Dei tribuit, Galat. 6. v. 15. *ὅτι τῷ κανόνι τῶν εὐαγγελιστῶν, pax super illos, & misericordia.*

17. Et sanè suauissimè hæc Metaphora ad verbum Dei refertur. Est enim Ecclesia Domus Dei viventis, cuius ædificatio est ex Deo: & Architecti sunt Ministri Verbi: vt autem structura illa debito modo perficiatur, regulâ, vel Canone opus est, qui est Scriptura Sacra.

18. Apocryphi in V. T. sunt Tertius, & Quartus liber

de Sacra Scriptura.

liber Esdræ, supplementum Esther, Oratio Manassis, Tobias, Iudith, Baruch, Epistola Ieremiæ libello Baruch annexa, Liber Sapientiæ, Syracides, Danielis supplementum, libri Machabæorum.

19. In N. autem T. Petri Epistola posterior, Ioannis secunda, & tertia, Epistola ad Hebræos, Epistola Iacobi, Epistola Iudæ, & Apocalypsis Ioannis.

Apocryphi Novi Testamenti.

20. Dicuntur autem Apocryphi ab occultâ Origine, quia de ipsorum Autoribus non extiterunt certa, firma, & consentientia primæ, & veteris Ecclesiæ testimonia, atque ideo ad dogmatum confirmationem non sunt adhibiti.

Cur dicantur Apocryphi.

21. Ecclesiastici porrò dicuntur, quia propter multa vtilia, quæ libri hi continent, lectio eorum Ecclesiæ concessa est. Sicut de hisce Hieronymus scribit: *Legit hæc Ecclesia ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.*

Cur Ecclesiastici.

22. Ingens autem inter Apocrypha V. & N. T. in reformatis Ecclesijs diuersitas est, hæc enim auctoritate, & pondere illis longè præferuntur.

Discreten inter Apocrypha V. & N. T.

23. Quin imò inter Apocrypha N. T. quædam apparet differentia. Illa enim, quæ plura, & grauiora Primitiæ Ecclesiæ testimonia habent, & quoad res, & loquendi genus Canonicis Scripturis conuenientiora sunt, plus etiam ponderis, & auctoritatis obtinent.

Discreten inter Apocryph. N. T.

24. Hinc Epistola ad Hebræos cæteris plurimum eminet: hæc tamen adhibetâ cautione, ut alijs, ex Scripturâ Canonicâ desumptis testimonijs, huius Epistolæ suffragia adiungantur, nec noua, in Canonica Scriptura inaudita dogmata, illius auctoritate, Ecclesiæ obtrudantur.

25. Vt-

Disputatio Theologica

25. Vtut enim magna sit quorundam Apocryphorum N. T. autoritas, in nostris Ecclesijs, eò tamen nemo unquam progressus est, aut progredietur, ut quia certa, firma, & consentientia, Primæ, & veteris Ecclesiæ testimonia de certitudine suâ non habent, eandem simpliciter autoritatem, quæ Canonicis debetur, in dogmatibus confirmandis, ijs tribuerit, aut tribuat: idq; ideo, ut regula fidei in Ecclesiâ certa sit.

Concil. Triden.
Sess. 4.

26. Ex quibus iam allatis promptum est colligere, quanti faciendum sit Concilij Tridentini decretum, quod non tantum omnibus libris, integris cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ Catholicâ legi consueverunt, & in veteri vulgatâ editione habentur, Canonicam tribuit autoritatem, sed etiam, ut ab omnibus ita suscipiantur, seuere, sub Anathematis interminatione, mandat.

27. Canonicam enim autoritatem, vti dictum est, soli ij merentur libri, qui suæ autoritatis, certa, & consentientia totius Primæ, & Veteris Ecclesiæ testimonia habent.

28. At cum de his libris, de quibus controuersia est quæritur, an certò, & indubitato à Prophetis, & Apostolis, qui Diuinitus autoritatem illam habuerunt, vel editi, uel approbati sint: Antiquitas respondet, non esse certum, sed propter multorum contradictiones fuisse dubitatum.

29. Decretum ergo illud meritò non recipimus, donec ex verâ, & consentienti totius Primæ Ecclesiæ asseueratione, Canonicam libris hiscè conciliauerint autoritatem, id quod in æternum non præstabunt.

30. Adul-

de Scriptura Sacra.

30. Adulterina scripta tam V. quàm N. T. multa olim circumferebantur, & circumferuntur etiamnum hodiè: ex Adulterinis U. T. Libellus quidam Enos & multi PseudoProphetarum libri. Ex Adulterinis N. T. Canones Apostolorum, ProtEuangelium Iacobi, Euangelium Nicodemi, Euangelium secundum Ægyptios, Liber Pastoris Hermæ: & alia eius generis plura.

Adulterina Scripta,

31. Et meritò sanè hæc scripta, è codice Bibliorum, tanquam supposititia, & adulterina, reiecta sunt. V. quidem T. ideò, quod quidam ex illis post tempora Prophetarum, tunc scripti sunt, cum populus Israel non amplius habebat Prophetas, quales veteres erant & scripti sunt ab ijs, qui non habebant Diuina testimonia de Doctrinæ suæ certitudine, & autoritate, sicut Prophetæ: quidam verò, Uirorum Diuinitus Illuminatorum nomina præ se ferebant, qualis est Libellus ille Enoch, sed non habebant certas testificationes, quod ab illis, quibus tribuuntur, essent conscripti.

Quare à codice Bibliorum sunt reiecta,

32. Noui verò T. Apocryphi adulterini ideò reprobati sunt, 1. quia non poterat ostendi ex testificatione Primæ Ecclesiæ, quod vel ab Apostolis essent conscripti, vel uiuentibus Apostolis comprobati. 2. quia afferiebant peregrinam Doctrinam non consentaneam illi quam Ecclesia ab Apostolis acceptam, in recenti tunc adhuc memoriâ conseruabat.

Caput Secundum.

De Origine, causâ, & usu Scriptura Sacra.

B

Ha-

Disputatio Theologica

HActenus de Sacro Sanctæ Scripturæ definitione, & diuisione, generalia quædam præmisimus: nunc ratio ordinis postulat, vt de Scripturæ S. Origine, Causâ, & Ufu aliquid dicamus.

Primus Scripturæ Autor Deus.

34. Habet autem Scriptura S. Diuinitus inspirata Deum ipsum autorem primum.

Lex inter Scripturas Diuinas Antiquissima.

35. Inter omnia enim V. T. scripta Diuinitus inspirata, primum locum, Antiquitatis ratione, obtinet LEX: quæ non tantum à Deo prolata, sed etiam Dei digito tabulis lapideis inscripta est, Exod. 31. 18.

Cur Verbum Dei literis sit consignatum,

36. Occasio autem, & causa, propter quam Deus verbum suum literis consignari voluit, fuit deprauatio, & Adulteratio puritatis Verbi Diuini per Traditionem viuæ vocis humanæ.

37. Ab initio mundi enim, vltra annos bis mille, Doctrina Cælestis voce Diuinâ patefacta sine Scripturâ Diuinitus inspiratâ, solâ viuâ voce, ab ijs, qui Cælestibus reuelationibus, ac alijs Testimonijs Diuinitus ad hoc constituti, & confirmati fuerant, fuit propagata, & per manus tradita.

38. Illa verò Traditio, à Patribus accepta, parum fideliter à posteris conseruata, & sæpius corrupta, deprauata, & adulterata fuit, itâ, vt subinde nouis Diuinis patefactionibus opus esset, per quas Dei Verbum à Traditionibus illis humanis purgaretur.

39. Post obitum Adami, filij Dei corruerunt vias suas, itâ, ut omnis cogitatio ipsorum intenta esset ad malum omni tempore: Genes. 6. v. 5. Ibi Deus per Noahum collapsam doctrinæ cælestis veritatem restituit. Post obitum Noë, verbum Domini denuò corruppe-

ba-

de Sacra Scriptura.

batur, sicut apparet ex historia Abrahami, qui cum Patre suo Thare, & reliquâ cognatione, Dijs alienis seruirebat: ibi denuò Verbum suum Deus à superstitione repurgabat per Abrahamum: repurgatam, per Isacum, & Iacobum, (cum quibus similiter Deus ipse loquebatur) proplantabat: sed Posteriores Iacobi denuò Idola Ægypti adorârunt, sicut patet ex cap. 20. Ezechielis, v. 8. Ibi verus Dei cultus per Moysen denuò peculiaribus ad ipsum factis reuelationibus Diuinis, pristinæ suæ puritati restitutus est.

40. Cùm ergò per Traditiones viuæ vocis, puritas Doctrinæ non conseruaretur, & Deus non vellet amplius illâ ratione vti, vt exortis corruptelis, nouas subinde reuelationes repeteret, & restauraret puritatem Doctrinæ, ab initio mundi Patriarchis traditam, & patefactam, aliam rationem instituit, vt scilicet scriptis, Diuinâ autoritate confirmatis, puritas Doctrinæ Cœlestis, propagaretur: cuius initium Ipse, vt dictum est, suo digito fecit.

41. Vsum autem huius suæ scriptionis Deus ipse expressit, Deut. 31. à v. 10. vsq; ad finem capitis, vt scilicet omnes audientes discant, & impleant omnes sermones Legis huius. Item, vt sit in testimonium liber iste, contra inobedientes: Deut. 17. 20. nec à lege illâ discedatur, vel ad dextram, vel ad sinistram: & ita Lex illa sit Canon Doctrinæ, & Morum.

Vfus Scripturæ
Sacrae

42. Hinc etiam motis controuersijs, & exortis corruptelis, Pij Reges, & Prophetæ V. T. simpliciter normam Scripturæ proposuerunt, sicut in sequentibus hæc exponentur.

43. Ne verò ea, quæ per homines Dei, miraculis, &

B 2

Te-

Disputatio Theologica

Moses Diuinâ
auctoritate scri-
puit.

Vt & Prophetæ
omnes,

Testimonijs Diuinis ad hoc ornatos, vel conscriberetur, vel conscripta comprobarentur, minoris, vel nullius auctoritatis ad confirmationem dogmatum, & refutationem corruptelarum, haberentur: noluit Deus ipse totam Legem conscribere, sed scriptis verbis Decalogi, Mosi mandatum dedit, ut reliqua ex ore eius conscriberet: Deut. 31. 19. & huic Mosaicæ scriptioni multis stupendis miraculis fidem conciliauit.

44. Sic etiam post Mosen Deus subinde Prophetas excitauit, qui doctrinam Mosi, & Patriarcharum, interpretationibus, ex Diuinâ reuelatione acceptis, illustrarent, quibus etiam, ut illas suas conciones scripto comprehenderent, seriò mandauit. Esa. 30. 8. *Nunc ergo ingressus, scribe eis super tabulam, & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouissimo in testimonium usque in æternum.* Esaia 8. v. 1. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.* Habacuc. 2. v. 2. *Scribe visum, & explana super tabulam, ut percurrat, qui legerit eum.* Simile extat apud Ieremiam, cap. 36. v. 2. *Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi, &c.*

45. Quos omnes Mosi, & Prophetarum libros, Deus pro paternâ erga Ecclesiam suam sollicitudine iudeo scribi curauit, ut posteritas doctrinam Propheticam sine fermento, & adulteratione, genuinam, & sinceram propagare, omnesque in doctrinâ religionis oborientes controuersias, inde diiudicare posset.

46. Ad quem usum etiam Christus, & Apostoli, alijque fideles in Disputationibus contra Phariseos, aliosque dogmatistas, fideliter Mosi, & Prophetarum libros transtulerunt. Act. 17. Berrhoenses.

47. Eadem origo, eadem causa, idemque usus est

de Sacra Scriptura.

est etiam Scripturæ N. T. quæ omnia, & singula breuiter nunc demonstrabimus.

48. Noui verò Testamenti doctrinam, vt notum est, eam vocamus, quam Christus tempore carnis suæ, in Ministerio suo, proprio ore promulgauit, quamque Apostoli, à Spiritu S. in omnem veritatem ducti, in omni terrâ omni Creaturæ prædicauerunt.

49. De hac constat inter omnes, quòd primis aliquot annis, & à Christo, & ab Apostolis sine scripto, viuâ voce sit tradita, & propagata, postea verò ab Apostolis, & Euangelistis scriptis comprehensa.

50. Huius igitur Scripturæ origo quæ sit, inuestigandum est.

51. Primum igitur Noui Testamenti Scriptum, Diuinitus inspiratum, est Epistola illa, Act. 15. in primo, & celeberrimo Concilio Apostolico communibus suffragijs, re diligenter deliberatâ, ad Ecclesias ex gentibus collectas, scripta.

Primum Scriptum N. T.

52. Et sicut primum V. T. Scriptum, ipsum Deum autorem habet, qui suo digito id exarauit, ita & hoc Noui T. primum Scriptum, non ab hominibus tantum, Apostolis videlicet, & senioribus, sed ab ipso Spiritu S. profectum est, ipsis Apostolis attestantibus Act. 15. v. 28. *Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, &c.*

Quem habeat Autorem.

53. Similiter, quam supra Scripturæ V. T. causam fuisse diximus, puritatis videlicet verbi per Humanas Traditiones adulterationem: eadem & hoc in loco manifestè cernitur, ita namque legimus in v. 24. cap. 15. Actorum: *Quoniam audiuiimus, quod quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, iubentes vos circumcidi, quibus non mandaueramus, &c.*

Quam causam.

Disputatio Theologica

Quem vsum.

54. Idem etiam vsum apparet, vt videlicet, ex hoc Apostolico Scripto Ecclesiæ certò constaret de verâ, & genuinâ Apostolorum sententiâ, ne quis, sicut antea factum fuerat, adulterinam, & supposititiam sententiam, hoc titulo, quasi ab Apostolis traditam, Ecclesijs obtrudere posset.

55. Quia verò hæc Synodica Epistola, minima in Scripturâ Noui T. pars est, de reliquis etiam Noui T. scriptis inquirendum est, propter quas causas, & in quem vsum scripta, & edita sint.

Apostoli, & Euangelistæ p. Dei voluntatem verbum Dei literis tradiderunt qd probatur 1. Auctoritate Irenæi.

56. Licet autem non singuli Euangelistæ, & Apostoli peculiare Dei mandatum suæ scriptionis, in ipsis libris expresserint, sicut de Prophetis supra ostendimus, Irenæus tamen, antiquissimus Pater, de omnibus in genere, eleganti quâdam sententiâ id exprimit, dum in Præfatione, & cap. 1. libri 3. ita ait: *Etenim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Euangelij, per quos & veritatem, hoc est, filij Dei doctrinam cognouimus, quibus & dixit Dominus, qui vos audit me audit: & qui vos contemnit, me contemnit, & eum, qui misit me. Non enim per alios dispositionem salutis cognouimus, quàm per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos. Quod quidem tunc præconiauerunt, postea verò PER DEI VOLUNTATEM in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, & columnam fidei nostræ futurum.*

57. Vbi Irenæus in genere totius Scripturæ N.T. non tantum Autorem exponit, Deum scilicet, per cuius voluntatem hæc edita sit, sed simul etiam Vsum, & Finem, ut scilicet sit fundamentum, & columna fidei.

2. Ioannis.

58. In specie autem Ioannes in Apocalypsi mandatum Dei exprimit, vt: cap. 1. v. 11. *Quod vides scribe in libro*

de Scriptura Sacra.

Libro & mitte septem Ecclesiis &c. cap. 2. v. 1. & Angelo Ephesi Ecclesia scribe: Idem mandatum legitur in v. 8. 12. 18. capite 3. v. 1. & Angelo Ecclesia Sardis scribe &c.

59. Vsum autem, & finem scriptionis ex omnibus, & singulis libris manifestè colligere possumus, quòd videlicet hoc sine scripserint, vt dicta, & facta Christi, & Apostolorum, ad omnem Ecclesiam sincere transmitterentur, & falsis dein traditionibus opponerentur.

60. De Euangelio Matthæi Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 21. hoc annotavit: *Matthæus cum primum Hebræis predicasset, & iam ad alios quoq; transiturus esset, Euangelium suum patrio sermone literis tradidit, & quod subtractâ præsentia suâ desiderabatur, illis, à quibus discedebat, per literas adimplevit.*

61. De Euangelio Marci, Nicephorus lib. 2. capite 15. hanc recitat historiam: *cum Euangelium in Occidentem venisset, tantus pietatis splendor mentibus illorum, qui Petrum audierant, illuxit, ut non possent contenti esse, non scriptâ Diuinæ prædicationis doctrinâ, aut in ijs, quæ sine scripto de Diuino verbo didicissent, permanere, sed Marcum magnâ animorum contentione obtestati sunt, ut Commentarios eius doctrinæ, quam verbo, sine scripto traditam accepissent, literis comprehensam illis relinqueret. Aiunt autem Apostolum Petrum, cum hoc ex instinctu Spiritus S. cognouisset, delectatum fuisse virorum illorum voluntate, & scriptum hoc iudicio suo comprobasse, utq; in Ecclesiis legere-tur constituisse.*

62. Lucas quo consilio Euangelium suum scripserit, in proemio historiæ suæ narrat, quia videlicet multi tentauerint, & quidè sicut ex circumstantijs colligere possumus, nec satis cerrò, nec fideliter, contexere historiam.

Disputatio Theologica

historiam de ijs quæ cœpit Jesus facere & docere, hanc suam Euangelicam historiam scripsisse, vt diligenter, contra falsas quorundam traditiones, omnia exponat.

Occasio Euan-
gelii Ioannis.

63. Joannis Euangelium quod attinet, quòd falsis & erroneis dogmatibus Ebionis, & Cerinthi sit oppositum, constat inter omnes.

64. Quod ipsum de singulis Apostolorum Epistolis demonstrari posset, si Disputationis limites id paterentur.

Causæ Scripturæ
N. Test.

65. Porrò causæ suppetunt aliæ etiam, propter quas necessarius fuit labor Euangelistarum, & Apostolorum, in historiâ Christi, & Doctrinâ Euangelij literis consignandâ, tam arduæ, tamq; euidentes, vt eas nè Portæ Inferorum conuellere queant.

I. Causa.

66. Prima causa est humanæ memoriæ imbecillitas, in his præsertim nouissimi mundi fecibus, ubi unâ cum uiribus, & ætate, memoriæ etiam humanæ uigor magis magisq; deficit: nisi ergo Euangelistæ ut & Apostoli, res gestas Domini, & dogmata Christianæ fidei literis consignata nobis reliquissent, impossibile fuisset, vt incorrupta ad tot seculorum posteritatem transmitterentur.

II. Causa.

67. Secunda causa est, quia res, hisce libris comprehensæ, naturâ notæ non sunt, sed mysteria sunt, ab omni ratione humanâ abscondita, quorum sapientiam nemo Principum huius seculi cognouit. Hæc quò altius sunt supra omnem humanæ intelligentiæ captum posita, eò difficilior hominum memoriæ insiguntur, eò facilius inde effluunt.

III. Causa.

68. Tertia causa est multitudo rerum, quas Christus N. T. populo ad finem usq; mundi innotescere volu-

de Sacra Scriptura.

luit, quibus omnibus, solâ traditione viuæ vocis ad posterios propagandis, nulla vis memoriæ par esse potest.

69. Quarta causa est indefessum studium Sathanae, & organorum eius, in inuertendis vijs Domini rectis, de quo experientia quotidiana nos edocere potest.

I V. Causa.

70. Quinta causa est: Quia U. T. Scriptura necessaria iudicata fuit, ideo etiam Noui: Eadem enim vtrobiq; scriptionis causæ: quin aliquæ rationes, respectu N. T. multò sunt vrgentiores: 1. quia cum ætate etiam memoria hominum debilitata est. 2. quia nullis extraordinarijs patefactionibus puritas Verbi restauratur amplius sicut in V. T. 3. quia nulli mittuntur Prophetæ, ut olim, immediatè illuminati. 4. quia Ecclesia N. T. non amplius, ut olim, tam angustis vnus regionis terminis concluditur.

V. Causa.

71. Ex quibus omnibus & singulis apparet, crassum, & putidum illud Pontificiorum commentum, fabulantium, quòd N. T. doctrina nullâ necessitate, præter, imò contrà Christi mandatum, ipsiusq; doctrinæ naturam conscripta sit.

72. Necessitatem enim rationes modò allatæ sufficienter probant. Apostoli Diuinitus illuminati, quid doctrinæ N. T. contrarium sit, probè intellexerunt: si igitur scriptionem doctrinæ huic contrariam esse cognouissent, sinè dubio laborem illum non suscepissent. Pontificij insuper, hoc ne vnico quidem argumento obtinere possunt. Contrà omnes igitur Inferorum portas immotum manet, Diuinitus factum, vt doctrina N. T. literis consignaretur.

C

Ca-

Disputatio Theologica
Caput Tertium.
De Perfectione Scripturae S.

73.

O Rigine igitur, Causâ, & Usu Scripturæ U. & N. T. iam cognitis, ad eiusdem Perfectionem accedemus, dispicientes, num omnia, & singula, ad fidem, moresq; necessaria in Scripturis S. apertè, & abundè explicentur.

74. Confitemur autem primò, in Libris U. & N. T. non omnia scripta esse, quæ Prophetæ, Christus, & Apostoli, aut docuerunt, aut fecerunt.

75. Multi enim Prophetarum multas, easq; prolixas ad populum dederunt conciones, quæ scriptæ non sunt, aut sanè interciderunt. Similiter non omnia, quæ Christus fecit, scripta esse, ex Joannis ult. v. ult. manifestò patet.

76. E duodecim Apostolis, plures nihil scripserunt, qui tamen viuâ voce multa passim docuerunt, & fecerunt: Sic etiam non omnia verba Petri, Pauli, Ioannis, & aliorum conscripta sunt.

77. Fatemur etiam Apostolos in singulis Ecclesijs ritus aliquos, atq; consuetudines, ordinis, & decori causâ sanxisse, non autem scripserunt, quia hi ritus non fuerunt perpetui futuri, sed liberi, qui pro commodo, & temporum ratione mutari possent.

78. At dicimus omnia, quæ ad fidem, moresq; necessaria sunt, abundè in Scripturis S. explicari omniaq; fidei Christianæ dogmata, uel expressè, *ἀπολεξεί & καθ' ἑρμηνείαν* poni, aut sanè bonâ consequentiâ necessariò indè inferri, ita, ut traditionibus non scriptis opus non sit

79. Quod

Scriptura Sacra perfecta est, qd probatur 7. Argumentis.

de Scriptura Sacra.

79. Quod ut planum fiat omnibus, Argumenta, pro nostrâ hâc sententiâ asserendâ producemus.

80. Deut. 4. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.*

Deut. 12. v. ult. *Quod precipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* Ex his dictis tale Argumentum colligimus:

Si non licuit Judæis aliquid addere ad libros Moſis, tùm 1. Argumentum, multò minus licet nobis aliquid addere, ad Canonem, Scripturæ iam auctum:

At illud non licuit:

Ergò multò minus hoc iam licet.

81. Propositio consecutionem necessariam habet. Nam si quinque libri Moſis continent plenam ac perfectam doctrinam, (quod certè faciunt, idè enim Moſes vetat his aliquid addere) tùm sanè doctrinam longè perfectissimam in vniuersis libris Veteris, & Noui Test. inueniri necesse est.

82. Argumentum secundum sumitur ex Apoc. 22. v. 18. *Contestor omni audienti Verba Prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sanctâ, & de his quæ scripta sunt in libro isto:* Argumentum tale est:

83. Si non licet huic libro aliquid addere, vel de- 2. Argumentum, trahere, nec alijs licebit: quia par est autoritas & ratio aliorum librorum, imò maior: Sed huic non licet: Ergò nec alijs, & per consequens hi libri plenam, perfectamque doctrinam in se continent, nec vllum dogma extra illos quæri oportet.

Disputatio Theologica

3. Argumentum.

84. Tertium Argumentum deducitur ex 1. cap. ad Galat. v. 8. *Licet nos, aut Angelus de caelo Euangelicet vobis, praterquam Euangelizauimus vobis, anathema sit.* Et v. 9. *Sicut prädiximus, & nunc iterum dico, si quis vobis Euangelizauerit, prater id, quod accepistis, Anathema sit.*

85. Hoc testimonium, siue de viua voce, siue littera scripta Pauli intelligatur, nostrum propositum confirmat, Scripturam S. videlicet esse omnibus numeris perfectam. Paulus enim ipse testatur, Act. 26. v. 22. 23. quod ex libris V. T. Euangelium suum confirmauerit. Ita enim ibi inquit: *Auxilio autem adiutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atq. maiori, nihil extra dicens, quam ea, quae Propheta locuti sunt, & Moses.*

86. Sic etiam Act. 17. v. 10. Fratres Beroenses, Pauli conciones examinauerunt ex Scriptis Prophetarum, quod facere non potuissent, si aliquid extra Prophetas docuisset. Ergo quaecunque Paulus docuit in Scriptura Sacra comprehenduntur, & Anathema sit, qui prater illud aliud Euangelium annunciauerit.

4. Argumentum

87. Quartum Argumentum est in dicto Ioan. 20. v. vlt. *Hec autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Si vnum Ioannis Euangelium ea, quae ad salutem necessaria sunt, complectitur, quanto magis vniuersa Scriptura hoc nomine perfecta dici poterit.

5. Argumentum

88. Quintum Argumentum fluit ex celebri illo loco Apostoli, qui habetur 2. Tim. 3. v. 16. *Omnis Scriptura, Diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in Iustitia: ut PERFECTVS sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

89. Non disputabimus hic, vtrum dictum hoc de veteri

de Sacra Scriptura.

veteris duntaxat, an verò vtriusque T. libris loquatur, si de solis veteris Instrumenti libris, fortius Argumentum dimicat, tùm enim, accedente Instrumento Nouo, perfectio maior erit, si de vtriusque T. libris maior nihil ominus iam perfectio erit Scripturæ, quàm tùm: quia nondum omnes (si modo aliqui) Noui Instrumenti libri scripti erant.

90. Sextum Argumentum hoc est, quod omnium, quæ Apostoli viuâ voce tradiderunt, summa ab ipsis in Scripturas relata est. 2. Cor. I. v. 13. *Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legitis, & cognoscitis.* Philip. 3. v. 1. *E ADEM vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium est.* Vbi vox, E ADEM, non ad Epistolas alias (præter hanc enim nullam ipsis scripserat) sed ad præcedentem viuæ vocis prædicationem referenda est.

91. Septimò, multùm etiam perfectionem Scripturæ probat id, quod Scriptura testatur mundum esse iudicandum in nouissimo die secundum Doctrinam Christi, & Apostolorum, Ioan. 12. v. 48. *Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Rom. 2. v. 16. *In die, cum iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum.*

92. Quale hoc loco intelligatur verbum, & Euangelium, scriptumnè, an viuâ voce prædicatum tantùm, id nullâ prolixâ inuestigatione opus habet: siue enim scriptum, siue prædicatum verbum intelligatur: ad idem tamen perfectionis argumentum res redit.

93. Quod enim præconiauerunt verbum Apostoli: Idem in literas retulerunt. Siue igitur ex Euangelio scripto, siue viuâ uoce prædicato iudicium futurum

Disputatio Theologica

est: vnum idemq; futurum est. Vnum namq; & idem est Evangelium scriptum & prædicatum.

94. Possent pro sententiâ hâc astruendâ alia plura ex Scripturâ S. produci testimonia, & argumenta: verum breues, quos præscripsimus nobis, Disputationis limites non patiuntur. Hæc tamen Aduersariorum calumnias, de Imperfectione Scripturæ satis confutant.

Caput Quartum.

De Perspicuitate & Certitudine Scripturæ S.

95.

DEmonstrauiamus ergò hætenus, S. S. Scripturam omnia, quæ ad fidem & mores pertinent, perfectè comprehendere, hoc verò non sufficit, sed dispiendum vltèrius est, num perspicuè illa proponat, vt cum fructu à nobis legi possint, necnè.

Multa sunt in S.
Scriptura obscu-
ra.

96. Agnoscimus autem & fatemur, multa in Scripturis S. esse obscura & difficilia intellectu, sicut sanè de locis quibusdam Paulinarum Epistolarum, Petrus 2. Ep. cap. 3. v. 16. asserit.

Deus propter
certas causas vo-
luit quædam ef-
se obscura.

1. Causa.

97. Patres etiam pias quasdam meditationes collegerunt, quare Deus in Scripturis S. quædam voluerit esse obscura, & difficilia intellectu.

98. Primò, vt in precibus assidui essemus, & Dei auxilium in illis Interpretandis, & in vero illorum sensu aperiendo, peteremus.

2. Causa.

99. Secundò, ut nostram, hâc ratione, in legendis, meditandis, perscrutandis, & conferendis scripturis,

de Sacra Scriptura.

ris, excitaret diligentiam, si enim omnia fuissent facilia, planè socordes fuisset.

100. Tertiò: Quia uoluit Deus in Ecclesiâ suâ alios Doctores esse, alios discipulos, alios peritiores, qui docerent, alios qui discerent, ut Scripturis S. & ministerio Diuinitus instituto suus honos conseruetur.

3. Causa.

101. Pronunciamus autem intrepidè simul, omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, apertis verbis in Scripturâ ità proponi, ut à populo & indoctis, cum fructu, ac utilitate legi possint.

102. Id quod iam firmissimis, ex Scripturâ petitis, rationib⁹, planum faciemus, præmissis solùm distinctionibus quibusdam D. Lutheri, quarum beneficio, de Perspicuitate, & obscuritate Scripturæ contrà Aduersarios disputare facile erit.

Distinctiones
D. Lutheri de
obscuritate &
Perspicuitate
Scripturæ S.

103. Prima, est distinctio rerum & verborum: Res ipsæ sunt in luce, signa verò rerum, id est, verba sæpè in tenebris sunt. Ibi ergò rebus, non verbis inhærendum. Quod si verò in reb⁹ obscuritas aliqua se offerre videbitur, sciendum, non ex rerum ipsarum obscuritate, ac difficultate, sed ex nostrâ cæcitate & ignorantia hoc euenire, sicut testatur Paulus, 2. Cor. 4. v. 3. *Quod si etiam operatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt opertum est.*

1. Distinctio.

104. Secunda: Consideratur Scriptura, vel ratione literalis notitiæ, vel respectu solidæ, & salutaris scientiæ. Priore modo Scriptura perspicua esse, & fieri potest per Ministerium verbi. Posteriori verò modo obscura est, nisi accedat internum lumen Spiritus S. gratiosè hominem animalem illuminans.

2. Distinctio.

105. Tertia: Distinguendum est inter res Dei, & res Scripturæ: Res, vel Iudicia Dei, de die & horâ iudicij,

de

3. Distinctio.

Disputatio Theologica

de ratione, & modo Trinitatis in vnâ Essentiâ, & huiusmodi, nobis ignota, & inscrutabilia sunt, iuxta illud Pauli, Rom. II. v. 33. *O altitudo diuitiarum, &c: quàm incomprehensibilia sunt Iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius.* Sed res Scripturæ, ea videlicet, quæ Deus in verbo suo de salute nostrâ patefecit, nobis nequaquam inscrutabilia, vel obscura sunt.

106. Status verò quarti huius capituli, sequentibus Argumentis probatur.

107. Primum argumentum sumitur ex Deut. 30. v. II. vbi sic scriptum legimus: *Mandatum quod ego tibi præcipio hodie, non est supra te, neq; procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere: quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, & opere compleamus, neq; trans Mare positum est, vt causeris, & dicas, quis è nobis poterit transfretare Mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est, sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Ex quibus verbis manifestum est, Scripturas Sacras intellectu faciles esse.

2. Argument.

108. Secundum Argumentum petitur ex Testimonijs Scripturæ, in quibus L V X appellatur. Psalmo 119. v. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Ps. 119. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen semitis meis.* Prouerb. 6. v. 23. *Mandatum Lucerna est, & LEX LVX.* 2. Petri I. v. 19. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi Lucerna lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat.*

109. Ex quibus omnibus manifestum est, Verbum non ita obscurum esse, vt intelligi non possit, sed perspicuum, & manifestum. Scripturam enim obscuram

Perspicuitas Sa-
cræ Scripturæ
1. Argument.

de Scriptura Sacra.

ram dicere, propter rationes allatas æquè absurdum est, ac lucem tenebras appellare.

110. Tertium Argumentum est in verbis Apostoli, 2. Cor. 4. v. 3. *Si opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt opertum est.* Ergò Euangelium per se apertum, manifestum, & perspicuum est. 3. Argumentum.

111. Quartum Argumentum. Summa totius Scripturæ, quæ consistit in Præceptis Decalogi, Symbolo, Oratione Dominicâ, & Sacramentis, Aperta habet Testimonia in Scripturis, Ergò clara est Scriptura. 4. Argumentum

112. Possent Argumenta plura coaceruari, sed hæc instituto nostro sufficiunt. Inde enim euidenter demonstratur, omnia, quæ ad salutem cognitu necessaria sunt, in Scripturis Sacris, apertis, perspicuis, & manifestis verbis proponi.

113. Adeò igitur à lectione Scripturæ S. Laici, & Plebei arcendi non sunt, vt potius omni modo eò adigendi sint, ipso Christo id mandante, Ioan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere:* suadente id Apostolo Paulo 1. Thessal. 5. v. 21. *Omnia probate, quod bonum est tenete:* vt & Ioanne, 1. c. 4. v. 1. *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint.* Laici non arcendi à lectione Scripturæ.

114. Hinc etiam Berœensium Ecclesia, quæ bonâ parte ex laicis collecta erat, adeò non reprehenditur, quod Pauli doctrinam ad Scripturam contulit, ut potius, tanquam præclarum factum, æternæ hominum memoriæ transmitti, à Spiritu S. dignum iudicatum sit.

115. DE CERTITVDINE Scripturæ S. quod videlicet illa non voluntate humanâ allata, sed Diuinitus inspirata sit, inter Christianos non dubitatur. De certitudine Scripturæ Sacræ.

D

116. Hoc

Disputatio Theologica

116. Hoc verò in controuersiam vocatur, num fides adhibenda sit Scripturis, propter Ecclesiæ testimonium tantum, an verò propter ipsius Scripturæ Auctoritatem, quod iam examinabimus.

Scriptura dupliciter consideratur.

117. Consideratur autem Scriptura S. vel respectu sui, vel respectu nostri. Respectu sui si consideretur, manifestum est, etiam Aduersariorum concessione, Scripturas ex se certas, & firmas esse, absq; vlllo Ecclesiæ testimonio. Uerbum enim Dei verum esset, si maximè nullus omnium hominum id suo assensu comprobaret.

Distinctio Fidei

118. Ad nos verò quando Scriptura refertur, distinguendum est inter initium fidei, seu externum assensum, & inter fidem robur suum adeptam, seu internam, & saluificam cordis fiduciam.

Assensus externus quomodo excitetur.

119. Ad initium fidei quod attinet, ut videlicet quis ad credendum Euangelio perducatur, propter infirmitatem nostram, non tantum vtile, sed etiam necessarium est, adminicula illa testimoniorum extrinsecorum colligere, de Ecclesiæ Primitiuæ testificatione, traditione manuum, certâ successione factâ.

120. Sic etiam initium illud fidei excitare possunt Miracula Moysis, Prophetarum, Christi, & Apostolorum, quibus doctrina, tam U. quàm N. T. confirmata est.

121. Ipsa quoq; admiranda propagatio Euangelij, quod videlicet in gentibus, superstitionibus suis tenaciter inhaerentibus, sine corporali vi, solâ prædicatione plantata est, mouere potest quempiam, ut doctrinam hanc Diuinitus inspiratam, credere incipiat.

122. Vt & Ecclesiæ huic fundamento Prophetarum & Apostolorum superstructæ, contra furores Diabo-

de Sacra Scriptura.

bolorum, & persecutionum procellas continuas, perpetua, eaq; miranda protectio.

123. Nec non ipsius doctrinæ Maiestas, quæ ubiq; in libris sacris, & Canonicis elucet, qualis in libris Philosophorum non occurrit: stylus item, orationis videlicet simplicitas, puritas, & Diuinitas.

124. Sicut sanè externis hisce adminiculis omnibus temporibus initium illud fidei, de quo dicimus, in aliquibus excitatum est.

125. Sed ut cum hoc externo assensu, interna, & saluifica cordis fiducia coniungatur, accedat necesse est internum testimoniū ipsius Spiritus S. nobiscum verbo illo suo in Scripturâ loquentis, & efficaciter in nobis fidem accendentis, & doctrinam illam, libris Biblicis comprehensam *θεοπνευστου* esse confirmantis, & obsignantis, quod testimonium omnium summum est, sine quo reliqua vniuersa efficacia non sunt.

126. Et si enim omnia illa testimonia, & argumenta externa, ad Scripturæ S. Diuinitatem agnoscendam nos deducere possunt, nullum tamen illorum omnium internam cordis persuasionem, & fiduciam excitare potest, nisi internum Spiritus S. qui prima & summa causa saluificæ agnitionis est, testimonium accedat.

Assensus internus quomodo excitetur.

Caput Quintum.

De autoritate Scripturæ, in Controuersis diiudicandis.

127.

EX quibus omnibus, hætenus allatis, promptum est colligere, quanta Scripturæ Canonica, in con-

D 2

tro-

Disputatio Theologica

Scriptura S. est
Iudex controuer-
siarum, quod
probatur.

trouerſijs dijudicandis, debeat autoritas, quòd vi-
del: vnica hæc. pro certâ normâ, & regulâ accipienda
ſit, ſecundum quam de omnibus, ſiue fidelium, ſiue infi-
delium literis, iudicetur liberè, conſona recipiatur, diſ-
ſona reiſciantur.

1. Ex præcedenti
bus Capitulis.

128. Si enim doctrina verbi Dei propterea, Diui-
no mandato, in literas relata eſt, ut Columna, Funda-
mentum, Canon, & Regula ſit fidei: ſi omnia quæ ad ſa-
lutem ſunt neceſſaria, perfectiſſimè, verbis planis, aper-
tis, perſpicuis complectitur: ſi deniq; hæc ipſa Scriptura,
certò Diuinitus inſpirata eſt, ſicuti ſingula hæc inuiſis
rationibus hætenus demonſtrata ſunt: quid prohibe-
bit, eam pro Iudice controuerſiarum omnium, recipere?

129. In U. ſanè T. motis controuerſijs, & exor-
tis corruptelis, ſimpliciter propoſuerunt normam
Scripturæ.

2. Testimonio
Eſaiæ.

130. Sic namq; Eſaias, triſtiſſimas ſui temporis
corruptelas correcturus, cap. 8. 20. ſimpliciter dicit: *Ad
Legem, potius & ad testimonium, quod ſi non dixerint iux-
ta verbum hoc, non erit eis matutina Lux.*

3. Exemplis Io-
ſaphat.

131. Ità Joſaphat religionem collapsam, & ſuper-
ſtitionibus contaminatam, inſtauraturus, ſcribitur eam
reuocaſſe ad librum Legis Domini, ità enim de Sacer-
dotibus, & Leuitis, Regis nomine, cauſâ Reformationis
emiſſis, legimus, 2. Paralip. 17, 9. *Docebantq; populum in
Iudâ, habentes librum Legis Domini.*

Ezechie.

132. Ezechias etiam, corruptelas doctrinæ, & Cul-
tus Diuini, ab Achaſ inueſtas, eliminaturus, operatus
eſt rectum, & verum, coram Domino, iuxta Legem.

Ioſia.

133. Sic Joſias, conuocatis vniuerſis ſenioribus,

Sa-

de Sacra Scriptura.

Sacerdotibus, Leuitis, & omni populo, à minimo usq; ad maximum, legit omnia verba voluminis Legis, & secundum eius normam repurgauit doctrinam, & Cultum Templi, 2. Paralip. 34. 29.

134. Illustre etiam exemplum est in Esdrâ, quo modo errores, & abusus qui tempore Exilij irrepsent, ad normam Scripturæ correxerit, & emendârit. Esdrâ.

135. Inprimis Canonicam Scripturæ Autoritatem Saluator Christus suo exemplo confirmat. Is enim ille est, qui cum Patribus U. T. locutus est, & potuisset sanè in Disputationibus veras traditiones non scriptas proferre, verùm id non facit, sed ad Scripturam prouocat, Matth. 19. 4. Non legistis &c. Quod ipsum, & in alijs Disputationibus obseruat, inprimis in pugna cum Sathanâ, Matth. 4. Christi Saluat.

136. Simili ratione prædicatio Apostolorum, Berzensum.
Act. 17. ad Scripturam examinatur, an videlicet dogmata afferant Scripturæ consentanea, nec nè.

137. Quod si igitur Scriptura Veteris T. omnium controuersiarum potuit esse Iudex iustissimus, & absolutissimus, quantò magis iam, vbi Canon Scripturæ plurimis N. Test. libris auctus est, omnes oborientes controuersie in Doctrinâ Religionis, ex Scriptura sola, sine Traditionum adiumento dijudicari poterunt.

138. Hinc Constantinus Magnus Nicænam Synodum aperiens: *Euangelici, inquit, libri sunt, & Apostolici, antiquorumq; Prophetarum Oracula: quæ nos manifestè instruunt, quid sentiendum sit de rebus Diuinis; expellentes igitur hostile certamen, ex sermonibus Diuinitus inspiratis questionum solutionem capiamus.* Tom. I. Concil. Colon. p. 249.

D 3

C A

Disputatio Theologica
Caput Sextum.

De Interpretatione Scripturæ S.

139.

CV M igitur Scripturæ Sacræ omnes dijudicandi controuersias Autoritas tribuenda sit, in id iam elaborandum est, vt in Disceptionibus, verus & genuinus Scripturæ sensus, ex verbis eruatur.

140. Doctrina enim Scripturæ, & Salutaris eius vsus consistit, non in verbis non intellectis, sed in vero eius sensu, & sano intellectu.

141. Certum est autem, multos in Scripturâ locos planis, & perspicuis verbis expositos esse, qui interpretatione longè petita non indigeant, sed seipsos explicant, ad quos accessus pateat indoctis pariter, ac doctis.

142. Et in his, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ ad fidem moreſque benè, beateque viuendi, æternamque salutem consequendi, necessaria sunt.

143. Sunt verò præterea multæ difficiles & obscuræ sententiæ, in scripturâ, quarum sensus non potest à quouis primo statim intuitu, deprehendi, quibus etiam multi abutuntur ad sui interitum.

Donum Interpretationis in Ecclesia floret.

Non cuius datur, nec ad certam sedem est alligatum.

144. Et tamen, ne sententiæ eiusmodi in Scripturâ vel frustra essent positæ, vel ansam præberet erroris, Deus in Ecclesiâ donum Interpretationis extare voluit.

145. Illud autem, sicut & donum sanationum, Miraculorum, & Linguarum, non omnibus datur, neque ad certam sedem, aut successionem est alligatum, sicut testatur Paulus 1. Cor. 12, 10. *Alii datur operatio virtutum, alij*

Pro-

de Sacra Scriptura.

Prophetia, alijs discretio Spirituum, alijs genera Linguarum, alijs Interpretatio sermonis. Hæc autem omnia operatur unus, atq; idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Sic etiam in U. T. Deus sæpè, præteritis Ordinarijs Pontificibus, & Sacerdotibus, aliundè, & sæpè ex aliâ tribu excitauit Prophetas, suæ voluntatis interpretes.

146. Sunt enim in Ecclesiâ boni, & mali: Renati, & non renati, qui videl. renaſcentiæ donum amiſerunt.

147. Nemo autem in Interpretatione suæ prudentiæ confidat, ne in ijs quidem locis, qui per se clari sunt: quia Petro teste, 2. Pet. 1, 20. *Omnis Prophetia Scriptura propriâ interpretatione non fit.*

148. Nec simpliciter ad Patrum testimonia, loca istiusmodi Scripturæ sunt contorquenda, licet Ueterum laboribus, cum reuerentiâ, & gratitudine utamur, saluâ tamen libertate Christianâ.

149. Sed omnis interpretatio Scripturæ consona sit, Rom. 12, 6. & ex ipsis Scripturæ visceribus sumatur, ita, ut subindè Scriptura Scripturam explicet, locus clarior obscuriorem.

150. Interpretationes porrò Scripturæ, non Prætoriâ autoritate pponantur, vt sine examine, & dijudicatione, simpliciter in illum sensum, qui obtruditur, iurare cogamur, sed Iudicium omnibus est concedendum, an videlicet Interpretatio sit Scripturæ consona, nec nè.

151. Paulus enim 1. Thess. 5, 19, 20, 21. dicit quidem, *Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite contemnere: sed addit: omnia autem probate, quod bonum est tenete* Sicut & Paulus Berœensibus iudicium, de Concionibus suis, ex Scripturâ liberum permisit.

152. Referri quoq; huc potest, quod Tertullianus de

Disputatio Theologica

de Lege dicit: Lex quæ probari se non vult meritò suspecta est.

153. Certæ autem observandæ sunt regulæ, secundum quas, & ad quas exigi debent, omnes Scripturæ Interpretationes, quas malumus Augustini, quàm nostris verbis proponere.

Media perueni-
endi ad verum
Scripturæ sensū.

154. Is Lib. de Utilitate credendi, cap. 3. tradit 4. modos interpretationis: 1. secundum historiam, cum docetur, quid sit scriptum, aut gestum. 2. Secundum ætiologiam, cum ostenditur, quid, quâ de causâ, vel factum, vel dictum sit. 3. Secundum analogiam, cum demonstratur, Scripturam sibi non aduersari. 4. Secundum allegoriam, cum docetur, non ad literam esse accipiendâ quædam, sed figuratè intelligendâ.

155. Veras istiusmodi, & sanas interpretationes congruentes ad regulas, modò recitatas, amamus, & exosculamur

156. Sathanicam verò illam, quævis Scripturæ loca, etiam clarissima, à genuinâ, & propriâ verborum, quam gignunt, significatione, ad alios, Scripturæ contrarios, sensus, detorquendi libidinem, ad Orcum vsq; damnamus.

Caput Septimum.

De Versione Scripturæ in alias linguas.

157.

CUm in ædificatione turris Babel, Deus, singulari consilio, linguas diuiserit variè: Doctrina autem Cœlestis, duabus linguis originaliter conscripta sit, Hebræâ videl: & Græcâ: considerandum nunc venit, vtrum in alias etiam vernaculas, & populares linguas, Scri-

de Scriptura Sacra.

Scriptura, citra Maiestatis Diuinæ offensionem, transferri possit.

158. Notum est verò, quod Daniel, & Ezras cœperint Chaldaico Idiomatico quædam conscribere, & quod postea tota U. T. doctrina in Linguam Syriacam, seu Chaldaicam translata sit.

159. Hoc num factum sit contrà Dei Voluntatem necnè, indè colligi potest, quod Saluator noster in cruce, verbis Scripturæ in Syriaco Idiotismo vsus est: quod certè in æternum nunquam fecisset si illa Scripturæ S. in alias linguas versio, Deo contraria esset.

Scripturam in alias Linguas vertere licet.

160. Similiter, cum propter Græcorum Monarchiam Lingua Græca in plærisq; terris, & populis vsitata, ac nota esse cœpisset translata est Scriptura V. T. in linguam Græcam.

161. Et hanc versionem Apostoli, Diuinitus Illuminati, suâ autoritate comprobârunt. Græcâ enim translatione U. T. plærunq; vsi sunt.

162. Noui T. doctrina Dei voluntate, Græcis literis tradita quidem est, propterea quod eius tunc vsus, sicut ex Historijs patet, latissimè patebat.

163. Hæc ipsa verò, missio Spiritu S. in die Pentecostes, inchoata, & quasi dedicata est diuersarum, & postea omnium gentium linguis: de quo legimus Act. 2.

164. Sicut enim linguarum diuisione, puritas Doctrinæ, Diuinitus patefactæ, amissa, & deprauata est: ita Spiritus S. per diuersitatem linguarum cunctarum, gentes in vnitatem fidei congregauit.

165. Hinc in Oriente, vbi Græca Lingua diu mansit vernacula, & popularis, Patres Græcè locuti sunt Ecclesijs, populus etiam Scripturam in Linguâ Græcâ legit

E

166. In

Disputatio Theologica

166. In Occidente verò, vbi vnâ cum Imperio Romano, etiam Latinæ linguæ vsus, latè in populis propagabatur, cœptæ sunt fieri translationes Scripturæ S. in linguam Latinam.

167. Ità Augustinus Ecclesiæ suæ Latinè locutus est, & populus Latinè legit Scripturam, Latinè cantauit Psalmos, erant enim latinæ linguæ homines.

168. Quid igitur obstaret, quò minus eadem S. Scriptura, in Germanicam, aliasque vsitatas nunc, populares, & vernaculas Linguas verteretur.

169. In Uersionibus autem istis, in id maximè elaborandum est, ut Originalium, Hebraicæ, & Græcæ, linguarum, vis, & proprietas, diligentissimè exprimatur. Nisi enim hoc factum fuerit, Uersiones istiusmodi, in controuersis dijudicandis nullum pondus habebunt.

170. Continuò enim aliud enascitur Euangelium de quo Paulus Gal. 1. *Si quis vobis Euangelizauerit, prater id, quod accepistis, Anathema sit*, siuè Angelus sit, siuè Apostolus.

171. Ingens igitur insania sit oportet Romani Pontificis, & coniuratorum ipsius, quâ decernunt, ut hæc ipsa Uetus, & Uulgata editio latina, in publicis Lectionibus, Disputationibus, Prædicationibus, aut Expositionibus, pro Authenticâ habeatur, nec reijcere eam, quisquam, quouis prætextu, audeat, vel præsumat.

172. Cùm tamen, si mica sani iudicij ipsis supersit, diffiteri non queât, in plurimis passim locis nihil minus, quàm natiuam, & genuinam Originalium Linguarum sententiam, in Latinâ Uulgatâ esse expressum.

173. Cuius rei documenta infinita penè produci possunt.

de Scriptura Sacra.

possent, si Disputationis, quæ breuitatem postulat, ratio id permetteret.

174. Maneat ergò quod Augustinus ait, de Doct. Christ. lib. 2. Cap. 11. *Latine Lingua homines duabus aliis ad Scripturarum Diuinarum cognitionem habent opus, Hebraea scilicet; & Græca; ut ad Exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.*

Caput Octauum.

De Traditionibus.

175.

A Dextremum, nostra etiam de Traditionibus sententia, breuiter, contra aduersariorum calumnias, proponenda est.

176. Calumniantur enim, quod omnes in vniuersum traditiones damnum, quâ in parte luculentam iniuriam nobis faciunt.

177. Hæc enim traditio, quæ testificatur, ab his autoribus, quorum nomina præ se ferunt Prophetarum, Apostolorum, & Euangelistarum libros descendisse, quia vnanimis, & consentiens est, totius Primæ Ecclesiæ, obuijs vlnis à nobis excipitur.

Quæ Traditiones recipiantur.

178. Illas verò, quas in confirmationem producunt illorum dogmatum, quæ non modò in Scripturâ nullum, vel testimonium, vel Exemplum habent, sed in super cum illâ è diametro pugnant, iure optimo reijcimus & damnamus.

Quæ reijciantur.

179. Idque Exemplo Christi, pronunciantis: Matth. 15. v. 9. Esai. 29. *Frustra me colant, docentes Doctri-*

Disp. Theol. de S. S.

nas, & mandata hominum. Nec non Pauli, Galat. i. v. 8. Licet nos, aut Angelus de cælo Euangelizet vobis, praterquam quod Euangelizauimus vobis, Anathema sit.

180. Scripturam enim Diuinitus inspiratam, omnia, quæ ad fidem, moresque, benè beateque viuendi, & ita salutem consequendi spectant, verbis apertis, planis, & perspicuis comprehendere, vt Traditionibus opus non sit, supra inuictis rationibus demonstraui-
mus.

DEO Opt. Max. qui nos è densissimis illis Humanarum Traditionum tenebris, in claram Euangelij lucem protraxit, gratias agimus immortales: eundemq; precamur, vt porro in agnitâ Scripturæ luce paternè nos conseruet; A M E N.

F I N I S.



